

quæ sunt species, aut duo signa. Quam ergo hæc ita se habeant, constat nihil gratiæ laicis deperire propter alteram, id est, vini substractam speciem. Post hæc omnia quantum addendum sensui, ut quadrata structura consurgat, nullum esse datum à Christo præceptum de manducatione Eucharistiæ sub utraque specie. Nam quod in primis adducunt ex Joannis sexto: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: admittimus quidem, atque extensis (ut ajunt) brachiis amplectimur illa verba de corporali atque visibili esu Eucharistiæ esse intelligenda. Neque mihi placet quod Gaspar Sagerus vir aliqui doctus & catholicus pro fide adversus Lutherum strenue decertans, ait, hæc verba de spiritali esu, qui per fidem & charitatem fit, esse intelligenda, motus illis verbis quæ postmodum in eodem capite Christus subjungit: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam. Verba quæ locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt*. Ex quibus verbis ille colligit verba illa de spiritali esu esse intelligenda. Verum hæc non ita se habent, ut patet legenti Theophylactum, Cyrillum, Chrysostomum, Augustinum, qui omnes in expositione super Joannem faciunt illa ad corporalem & visibilem manducationem esse referenda. Et istorum omnium dicta superius hæresis quarta recensimus. Quod autem subditur: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam*, sic exponant Theophylactus & Cyrillus, id est, caro ista quam dixi vivificatam eum qui illam sumpserit, suapte natura hoc efficere non valebit, tamen hoc efficiet propter inhabitantem in ea spiritum filii Dei. Nam hic spiritus est qui vere vivificat, caro autem sola nihil prodesse poterat, sed propter conjunctionem cum verbo, ad altiorei quadam dignitatem elevata est, ut vivificatrix esse possit. Quemadmodum etiam si alicui liquori mel infundas ac miscas, totum liquorem dulcem facit, eamque illi tribuit proprietatem, quam alias non habebat: sic divinum verbum carni unitum, quoniam verbum vita est, carnem ipsam etiam vivificatricem facit: atque ideo caro ex se non prodest quicquam, sed à spiritu habet ut vivificare possit. Quod vero dicitur: *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt*, hæc tendit, quod viderat Judæos murmurare, credentes Christum eis præcepisse ut more ferarum carnem humanam ederent, sanguinemque biberent: atque ideo eos reprehendens de carnali illa suorum verborum intelligentia, edocet eos mysterium quoddam latere, verbaque sua sic esse intelligenda, non quod crederent corpus suum dentibus atterendum, sed sub sacramento manducandum. Dicimus ergo atque fatemur verba illa, scilicet: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* de corporali esu esse intelligenda, nec tamen admittimus Christum illis verbis nobis præcepisse ut Eucharistiam sub duplici specie acciperemus. Nulla namque in illis verbis specierum panis aut vini fit mentio, sed solum de signariis, scilicet carne & sanguine, quæ sub illius signis continentur. Non enim dixit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis sub specie panis, & biberitis ejus sanguinem sub specie vini, non habebitis vitam in vobis*. Non sic dixit, sed sic: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. At cum diximus sub specie panis corpus contineri simul etiam & sanguinem, fit, ut qui Eucharistiam sub specie panis sumit, carnem manducet, sanguinemque bibat, cum sanguinis sumptio ve-

re potus dicatur, sicut & carnis acceptio dicitur manducatio. Nec tamen hæc occasione fat erit sacerdoti confidenti unam sine altera speciem sumere: quoniam sacerdos conficiens & consecrans, ipsum summum sacerdotem Jesum Christum repræsentat, qui pro nobis corpus & sanguinem suum in ara crucis obtulit, sicut ipse Christus expressit, dicens (*Luc. 22.*) *Hoc facite in meam commemorationem*. Quid est dicere, hoc facite, nisi, hoc conficite, hoc consecrate? Scio tamen aliquos ex ipsis hæreticis esse qui aptissime negant, imo irrident talem interpretationem, quam dicimus, hoc facite, valere tantum ac si dixisset, consecrate. Nam quidam Joannes Rivius Atthendorienensis in quadam epistola de communionem sub utraque specie, hæc interpretationem irridet, sic inquit: Nam quem apud Evangelistam legatur, *tuto pietate non poterit, hoc facite, pro sacrificio, accipi*. Nam hæc plane Græcæ vox interpretationem respuit. Hæc ille. Non erit opus ut veram litterarum interpretationem agnosceremus, litteram Græcam citare, quæ nihil prorsus hæc in parte à latina dissentit, neque interpretationem nostram (ut Joannes Rivius ait) magis quam Latina littera respuit. Non enim fumus tam rudes aut Latini sermonis, vel Græci tam ignari, ut putemus hoc verbum facio aut hoc verbum Græcam *po* illi respondens, significare ex sua institutione idem quod consecrare, aut sacrificare. Verum est hoc ita se habeat: tamen quia solemne est, & apud doctissimos viros sæpe usurpatum, ut nomen aut verbum generale accommodetur ad particulares illius species, hinc venit ut sæpe illius significatio varietur, juxta varietatem particularis materię de qua fit sermo. Hoc autem verbum, facio, aut Græcum illi respondens, videlicet *po* generale verbum est, ad omnem efficientiæ modum explicandum. Nam qui legit, aut scribit, aut pingit, aut cantat, aut bibit, aut saltat, aliquid facere dicitur. Proinde si quis uno saltu transiret aquæ torrentem, & postea diceret alijs: *Facite vos hoc, nullus negabit per illa verba illum præcipere alijs, ut similes transirent torrentem*. Si quis etiam pictor peritus coram discipulis pingens, diceret postea discipulis suis: *Facite hoc, omnes audientes intelligerent magistrum, præcepisse discipulis, ut aliud simile pingerent*. Et tamen hoc verbum facere, nec pingere, nec saltare significat ex sua propria & adæquata significatione, quamvis omnia illa signo quodam generali significet. Ad eundem prorsus modum accipienda sunt verba Christi, quum ait: *Hoc facite in meam commemorationem*. Illis enim verbis præcepit Apostolis, ut quod illum fecisse viderant, ipsi postmodum facerent. At Christus panem in manus suas acceperat, benedixerat, consecraverat, consecrarumque eisdem Apostolis distribuerat. Dicens ergo Apostolis: *Hoc facite*, præcepit illis, ut panem accipientes similes benedicerent & consecrarent. Non est ergo absurda (ut Joannes Rivius ait) sed germana litterarum interpretatio, quum illa verba Christi: *Hoc facite, per ista verba, consecrate, sacrificare* explicamus. Illis namque verbis potestatem consecrandi illis dedit. Tunc enim à Christo ordinati sunt sacerdotes, eis adjuncte, ut in sua passionis commemorationem hoc facerent. Quod expressis dixit Paulus: (*1. Cor. 11.*) *Hic calix novum testamentum in meo sanguine*. *Hoc facite quotiescumque biberitis, in meam commemorationem*. Si facere hic pro consecrare ponitur, quod ad solos sacerdotes (ut alias differemus) spectat: constat solis sacerdotibus dictum esse, ut quotiescum-

que bibunt, in sui commemorationem faciant. Cujus autem rei esset futura commemoratio, verba subjuncta manifestant. *Quotiescumque enim (inquit) manducabitis panem hunc, & calicem biberitis, mortem domini annuntiabitis donec veniat*. Memoriam ergo dominicæ mortis sacerdos in altari agit, non autem ille qui à sacerdote recipit: quapropter sacerdos hæc lege devinctus est, ut quotiescumque celebret, nec panem sine vino consecret, nec unam speciem sine altera sumat: quoniam est sub qualibet specie totus integer Christus lateat, non tamen qualibet specie totum Christum significat aut repræsentat, sed species panis solum carnem significat, species vini solum sanguinem repræsentat, ejuque solius memoriam gerit. Quo fit, ut si solum panem consecraret, aut solum panem consecratum sumeret, solum oblationis memoriam faceret quo Christus obtulit suum corpus, nulla autem tunc memoria fieret sanguinis effusi, atque pro nobis à Christo oblato, quod species panis est sanguinem continet, non tamen sanguinem repræsentat, aut ejus memoriam facit. Ad hanc eundem modum si solum vinum consecraretur, aut illud consecratum solum sumeretur, solius sanguinis oblato atque effusi, & non corporis memoria fieret. At cum sacerdotes consecrantes, in memoriam dominicæ mortis quam pro nobis tulit, consecrare teneantur, colligunt inde, ut sub utraque specie id facere obligentur, quam neutra absque altera perfectam Christi oblationem repræsentet: quod Christus innuit, cum post panis & vini consecrationem dixit: (*Luc. 22.*) *Hoc facite in meam commemorationem*. Quidnam est hoc quod facti sunt in tuam commemorationem: Hoc, inquam, totum quod ego proxime coram vobis feci. Verum cum recipienti de manu alterius consecrantis, nihil tale præcipiatur ut in memoriam dominicæ oblationis sumat, numquam is qui de manu alterius sumit, sive laicus ille sit, sive sacerdos, teneatur in eandem memoriam sic sumere, ut unam sine altera non sumat. Illi enim simul non agunt aliquid circa sacramentum, atque ideo eis non dictum est: *Hoc facite in meam commemorationem*. Neque eis etiam dicitur: *Bibite ex eo omnes*, sed solum is qui datur, nempe Apostolus, qui omnium futurorum sacerdotum personæ gerebant, quibus in Apostolis hoc sacramentum in memoriam Christi conficere præcipiebatur. His ergo solis dicitur: *Bibite ex eo omnes*. Nisi forte dicatur illa verba ad omnes Christianos esse referenda, omnesque Christianos (ut Lutherus ait) esse sacerdotes. Verum de his alias longius disputabimus. Quod vero ex hoc colligitur Eucharistiam esse sumendam sub utraque specie quod Christus sub utraque specie discipulis suis illam dedit, inapte quidem colligunt. Nam si ex omnibus Christi factis in hoc sacramento (omittit alia ejus facta) esset sumendum argumentum ad sic necessarium faciendam: Græci conscienties in fermentato, licite non conficerent, quum ut superius sub hoc titulo ostendimus, Christus in azymo consecravit: eos tamen licite sic posse conficere diximus. Rursus, si omnia quæ Christus in cæna sua peregit, cum corpus suum & sanguinem sub speciebus panis, & vini Apostolis suis dedit, essent nunc necessario à sacerdotibus facienda, quando Eucharistiam alijs administrant, oporteret etiam necessario pedes aliorum lavare ante hæc Eucharistiæ distributionem. Nam Christus ipse, ut ex evangelio constat, prius discipulorum pedes lavit, quam corpus suum & sanguinem discipulis traderet. Nec solum lavit, sed

illis, ut similiter in posterum facerent, expressum mandatum dedit, sic inquit: (*Joann. 13.*) *Si ego magister & dominus lavi pedes vestros, & vos debetis alteri alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. Hoc autem Christi mandatum, secundum faciem litteræ, non minus cogit, quam hæc verba domini: *Bibite ex eo omnes*. Verum catholica Ecclesia non utitur hac ablutione pedum, quamvis olim illam habuerit in usu, ut constat ex antiquis Doctoribus, præsertim ex Cypriano, & Augustino. Quare autem hæc consuetudo prorsus inolevit, declarat beatus Augustinus, epistola 119, quæ est ad Januarium de ritibus Ecclesiæ cap. 18, sic inquit: „De lavandis vero pedibus cum dominus hoc propter formam huc militatis, propter quam docendam venerat, commendavit, sicut ipse consequenter exposuit, quæritum est quomam tempore potissimum res tanta etiam facta doceretur, & illud tempus occurreret, quo ipsa commendatio religiosius inhiæret. Sed ne ad ipsum sacramentum Baptismi videretur pertinere, multi hoc in consuetudinem recipere noluerunt: nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitaverunt.“ Hæc Augustinus, qui satis aperte docet talem pedum ablutionem ideo fuisse rejectam, ne putaretur eam esse baptismationem. Existimavit enim Ecclesia multo melius esse illam externam cæremotiam omittere, quam pertinaciam illius retentione tam pessimi erroris dare occasionem. Præterea, si ad imitationem Christi essent omnia in hoc sacramento necessaria peragenda, non liceret jejuniis stomacho recipere Eucharistiam, quam Christus discipulis suis non jejuniis, sed cænatibus, corpus suum dederit. Hoc autem, quod Christus tunc fecit: quomam tempore sequenti aliquandiu servatum fuerit, ut ex priori Pauli ad Corinthios epistola constat: postea tamen rejectum est, non ex sola consuetudine, sed ex præcepto sextæ generalis synodi canonè 39. Hanc eandem Ecclesiæ sanctionem laudat beatus Augustinus, & graviter reprehendit eos, qui hæc Ecclesiæ sanctionem arguant, sic dicens in epistola ad Januarium quæ est 118, cap. 6, „Illum magis movere potuit homines, utrum jam recessisset illa die illa: vel offerrent, vel sumerent Eucharistiam, quod in Evangelio dicitur. Cum autem illi manducarent, accepit Jesus panem & benedixit: (*Matt. 26.*) cum etiam superius dixisset: *Cum sero factum esset recumbat cum duodecim, & manducantibus eis, dixit: Quoniam unus ex vobis me tradet*. Postea enim tradidit sacramentum: Et liquido apparet, quando primum acceperunt discipuli corpus & sanguinem domini, non eos accepisse jejunos. Numquid tamen propterea calumniam est univèrsæ Ecclesiæ, quod à jejuniis semper accipitur? Et hoc enim placuit spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani ipsi dominicum corpus intraret, quam exteri cibi. Nam ideo per univèrsam orbem mos iste servatur. Neque enim quia post cibos dedit dominus, propterea pransi aut cænatii fratres ad illud sacramentum accipiendum con venire debent, aut faciat faciebant, quos Apostolus arguit & emendat, mensis suis ista miscere. (*1. Cor. 11.*) Namque salvator quo vehementius commendaret mysterium illius altitudinem, ultimum hoc voluit insingere cordibus, & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Et ideo non præcepit quod deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis per quos Ecclesiæ dispositurus erat, servaret hunc locum. Nam

si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quod eum morem nemo variasset. Cum vero ait Apostolus de hoc sacramento loquens, *Propter quod fratres cum convenitis ad manducandum, invicem expectate: Si quis esurit, domi manducet, ut non ad iudicium conveniatis. statim subjicit: Cetera autem cum venero ordinabo.* Unde intelligitur, quia multum erat, ut in epistola totum illam agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse quod nulla morum diversitate variatur. Hactenus Augustinus. In quibus verbis id potissimum inter alia annotare oportet, quantum Augustinum tribuerit decretis Ecclesie, quam à Spiritu Sancto semper regi, firmissime credit. Deinde nec liceret in calice aquam vino miscere, quoniam est Christus propter suam sobrietatem ita fecisse creditur: Evangelistæ tamen nihil tale commemorant. At hi contra quos nunc agimus, nihil recipere volunt quod non sit in sacris litteris expressum: quo fit ut aquam vino miscere non debeant, quia nullus Evangelistarum expressit Christum in calice sancto aquam vino miscuisse. Vides jam satis (ut exitimo) quam futile sit argumentum inde colligere, nos esse obligatos ad præbendum laicis Eucharistiam sub utraque specie: quod Christus sic porrexit Apostolis. Omitto quorundam responsum, assignantium discrimen, quod Apostoli ordinati sunt sacerdotes à Christo per illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* De his enim verbis non constat Christum facta consecratione immediate ea dixisse antequam Eucharistiam sub utraque specie Apostolis dedit, vel post. Quod si prius dixit quam dederit, constat eum sacerdotibus dedisse. Si vero verba illa Christus post datam illis Eucharistiam dixit manifestum est illum non sacerdotibus tunc dedisse. Quod mihi ex litteræ decursu magis probatur. Nec tamen ideo (ut diximus) argumentum est efficax, ut sic nos facere obligemur. Quod si alicui negotio illud argumentum deservire potest, huic certe erit, ut credamus non esse contra evangelicam institutionem, Eucharistiam sub utraque specie alii, etiam laicis porrigere, quod firmissime fatemur. Nam olim per multa secula sic apud omnes catholicos usitatum esse, ex multorum sanctorum scripturis didicimus. Sother Papa qui tertiusdecimus à beato Petro, summus Ecclesie Pontifex fuit, sic ait: „In cena Domini à quibusdam perceptio Eucharistie negligitur, quæ quoniam eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis his quibus pro gravissimis criminibus inhibuitur) percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat: cum etiam penitentes eadem die ad percipiendam corporis & sanguinis dominici sacramenta reconciliantur.“ Hæc Sother Papa. Quæ verba habentur, de Consecrat. Distinct. 2. cap. In Cena. Cyprianus martyr Sothero plusquam uno seculo posterior, de eadem re testimonium reddit, qui in sermone de lapsis loquens de quadam puella à dæmone obsessa, quæ ad ipsum Cyprianum divina celebrantem mysteria, aduclta fuerat, hæc ait: „Ubi vero solemnibus adimpletis calicem dicitur, conus offerre presentibus cepit, & accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula infanti divine majestatis avertere, os labiis obruantibus premeret, calicem recusare. Perstitit tamen diaconus, & reluctanti licet, de sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus, & vomitus. In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. Sanctificatus in domini sanguine potus de polluis visceribus erupit, tanta est potestas Domini, tanta majestas.

Hæc Cyprianus. Augustino Cypriano posterior hujus Ecclesiastici usus testimonium reddit, sic inquit. Quum frangitur hostia, dam sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam dominici corporis in cruce immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur.“ Hæc Augustinus, & habentur, de consecrat. dist. 2. in cap. Quum frangitur. Hanc consuetudinem fuisse adhuc in Ecclesia tempore beati Gregorii Papæ, constat ex his quæ ille in quadam homilia paschali refert: Sic enim ad populum loquens, ait: „Quid sit sanguis agni, non jam audiendo, sed bibendo didicisti: qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.“ Hæc Gregorius, & habentur, de consecrat. dist. 2. in cap. Quod sit. Et hujus rei aliquando in Ecclesia catholica factæ, historia tripartita meminit. In hujus namque historie cap. trigesimo libri noni, unus ex iis tribus auctoribus ex quorum fragmentis confarctatis tripartitæ nomen accepit, nempe Theodoretus enarrans verba beati Ambrosii quibus Theodosium excommunicavit propter immensam crudelitatem quam Thessalonice exercuerat, & qualiter eum ab ingressu templi prohibuit, sic ait: „Quibus igitur oculis aspicias communis Domini templum? Quibus calcabis pedibus sanctum illius pavementum? Quomodo manus extendes, de quibus sanguis adhuc stillat injustus? Quomodo hujusmodi manibus suscipies sanctum Domini corpus? Quæ temeritate ore tuo poculum sanguinis pretiosi percipies quando furore verborum tuorum tantus intus est sanguis effusus? Recede igitur, recede, nec aliter peccato priora crimina augere contendas.“ Hæc ibi. Ex quibus verbis duo annotanda sunt. Primum est, olim laicis Eucharistiam dari in manus: quod cum ex aliis historiis, tum etiam ex hoc loco colligitur. Sic enim dixit: Quomodo hujusmodi manibus suscipies sanctum domini corpus? Secundum est, laicos sub specie vini Eucharistiam tunc recipere. Postquam enim de susceptione corporis dixerat, subdidit: Quæ temeritate ore tuo poculum sanguinis pretiosi percipies? Nisi forte quis dicat Theodoretum hunc præsentis historie auctorem Græcum fuisse, atque ob id eam more suo narrasse, quod Græcis (ut dicimus) mos sit Eucharistiam sub utraque specie sumere. Hoc colligitur ex eis aliquando factum fuisse, quod tamen Ecclesia re postmodum bene circumspicere debet, nec immerito, cum ad hoc faciendum nec auctoritas, nec causa illi deesset. Cause quidem ad id tollendum plurimæ subsunt. Prima, numerosa fidelium multitudo in dies crescens, propter quam communicandam periculum erat effusionis sanguinis, quod in præcedente tempore propter populi paucitatem non adeo timendum erat. Altera huic proxima, delatio vini ad loca distantiora pro communicandis infirmis quo casu timendum valde erat, ne inopinato defectus lapsu sanguis effunderetur. Nam ob aliam similitudinem causam, cum olim communio sub utraque specie laicis daretur, sanguinem Domini à Diacono fuisse fustum, in vita Sancti Donati Episcopi, & martyris legitur, ubi hæc verba habentur: Cumque die quadam missam celebrasset populo, & de Corpore Christi venerabiliter recrearetur, Diaconus sanguinem sacrum populo tradens cecidit, & sanctum calicem comminuit. Hæc ibi. Deinde ne vinum pro infirmis conservatum vertatur in acetum, quod plurimum contingere solet. Quarta ratio est, quod apud plerasque gentium, nationes magna est vini raritas, ob quam difficillimum esset, & aliquando im-

impossibile ut sub vini specie totus populus communicaret: quoniam vinum deesset quod tantæ multitudinis sufficeret. Et quod præ his omnibus magis curandum erat, ne scilicet homines hac occasione in eum ducebantur errorem, ut crederent sub utraque Eucharistie specie non æque totum Christum contineri, sicut de quibusdam, nempe Nestorianis, dicitur in huic errorem lapsos fuisse. Quo fieret, ut cum laboranti in extremis species vini propter quosdam urgentes causas subtraheretur, suspicaretur non integre communicarum. Causa ergo superant, eæque non contemnendæ: nec auctoritas defuit. Nam si ex hoc quod Christus communicavit semel discipulis sub utraque specie, fatemur illud licite fieri posse, si Ecclesia non prohiberet: ergo si ostendamus Christum in una tantum specie Eucharistiam aliquando discipulis communicasse, fateri etiam oportebit hoc ipsum etiam licite, Eucharistiam videlicet sub una tantum specie populo communicare, præcipue quum consistet de Apostolis post Christum alias id facturas. De Christo patet. Nam Lucas cap. 24. enarrans historiam discipulorum euntium in castellum quod dicitur Emaus, quibus Christus resurgens factus est obviam, ait: *Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipse evanuit ex oculis eorum.* Hunc autem panem fuisse Eucharistiam ex eo constare potest, quod dicit, *benedixit, ac fregit.* Numquam enim aliter consecratio illa in Evangelio, nec in epistolis Pauli nominatur, nisi benedictio. Et cognoverunt eum in fractione panis, quippe quod viderint modum observatum quem in cena ultima tenuerat, quam Apostolis suum corpus porrigebat. Verum ne ista sic dicta nostræ fallaci suspicioni imputentur, gravissimos auctores sic sentientes citabo. Theophylactus itaque hunc Lucas locum exponens, ait: „Et quando permittit, tunc aperiuntur oculi eorum, & agnoscunt eum. Insinuat & aliud quiddam, nempe oculi, quod eorum qui benedictum panem assunt, aperiuntur ut agnoscant illum. Magnam enim, & indicibilem vim habet caro Domini.“ Hæc Theophylactus. Hoc etiam testatur Augustinus in 3. lib. de consensu Evangelistarum, sic inquit: „Non incongruenter accepimus hoc impedimentum in oculis eorum, à Sabana factum fuisse, ne agnosceretur Jesus, sed tamen à Christo facta est permissio usque ad sacramentum panis: ut unitate corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus posset agnosci.“ Hæc Augustinus. Hujus sententia est Chyostomus homilia 17. super Matt. atque idem asserit Beda super Lucam. Quorum verba ut prolixitatem fugerem, in medium adferre contempsi. Cum ergo Christus, tunc sacramentum dedit, panem solum Lucas commemorat dedisse, nullam vini faciens mentionem. Bito, Christus tunc corpus suum non dedit, quoniam de hac re nihil definit volo: Apostoli tamen hoc idem usurparunt. Nam in Actis Apostolorum, cap. 2. dicitur de his qui conversi fuerant per Petri predicationem, *quod erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione & fractione panis, & orationibus.* Vides hic nullam vini factam mentionem. Et alibi in eodem libro dicitur, cap. 20. *Una autem sabbati cum convenissemus in crastinum ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum.* Neque hic aliqua de vino facta est mentio. Nec solum tempore Apostolorum, sed etiam longe in posterum servatum fuisse ritum de com-

munionem sub una tantum specie ex variis testimoniis convincere possumus. Nam beatus Cyprianus in epistola ad Antoninum, quæ est secunda libri quarti, refert presbyteros in fide defecerant, & postea respiciebant non solere recipi ad communionem sacerdotalem, sed tantum ad communionem laicam, quæ aliam non potest esse nisi illa quæ datur sub una specie tantum, quoniam nulla alia potest esse differentia inter laicam & sacerdotalem communionem, nisi quod laicus sub una tantum specie communicat, sacerdos vero sub utraque. Et hujus rei testimonium etiam apertum præbet beatus Ambrosius, qui de laicorum communionem differens, nulla profus vini mentione facta, solum panem commemorat. Et ideo in oratione funebri fratris sui Satyri asserit (ut in proxima præcedenti hæresi citavimus) illum gestasse sacramentum Eucharistie in libello precum suarum, & ab illo fuisse servatum in naufragio. Ex quo aperte colligitur alteram sacramenti specie ab altera separatam tunc fuisse traditam. Est adhuc aliud exemplum quod in proxima etiam præcedenti hæresi ob aliam causam narravimus, & quia huic proposito ob alium finem maxime suffragatur, ideo illud repetere oportet. In historia tripartita libro 6. refertur, quod cum puer quidam nomine Serapionis qui jam morti appropinquabat, peteret à presbytero Eucharistiam, presbyter illum puerum tradidit, ut ad infirmum portaret, quia ille propter noctis intemperiem & suam imbecillitatem ad infirmum venire non potuit. Et in hoc evento solum speciem panis puerum fuisse traditam refert historia illa, nullam profus sanguinis mentionem faciens. Deinde Leo Papa hujus nominis primus in quodam decreto & in sermone quarto de quadagesima præcipit, ut communio non fiat sub una tantum specie, propter hæresim Manichæorum & aliorum qui prædicabant Christum assumptis corpus phantasticum sine sanguine, & ob eam causam contendebant, Eucharistiam sine sanguine esse sumendam. Ex quo Leonis decreto aperte conjicitur ante Leonem Papam fuisse consuetudinem communicandi sub una tantum specie laicos, & illam decreto Leonis fuisse sublatam, & à tempore illo ob justam causam accepisse consuetudinem communicandi sub utraque specie, quæ postea tempore aliquanto duravit, sed ob alias multas causas denique sublata est. Si ergo Christus semel discipulis suis in una tantum specie communicavit: si Apostoli alii etiam in una tantum specie sæpe communicarunt: si consuetudo illa per multa tempora postea in Ecclesia servata est, convincitur, minime ex Christi præcepto Christianos omnes obligari ad sumendum sub utraque specie. Adde quod in Joann. 6. cap. in quo de hoc sacramento fit mentio, sæpe fit memoria panis, numquam autem memoria vini. Nam et si de sanguine fiat mentio, non tamen ut sub specie vini sumendus est. Deinde una earum petitionum quæ in oratione dominica memorantur apud Mattheum, (Cap. 6.) est de hoc sacramento sub his verbis: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie:* in qua nulla de specie vini fit mentio. Præterea figuras hujus sacramenti, quæ cum cultæ sint, rarissimæ tamen in specie vini, sed omnes fere in specie cibi præcesserunt, ut de manna, & agno paschali, & panibus propositionis. Quod autem in Genesi (Cap. 14.) dicitur: Melchisedech panem & vinum obtulisse, figura quidem fuit hujus sacramenti sub utraque specie, non tamen in plebejo homine, sed in vero Dei sacerdote: quoniam intelligendum est, non quod illa obtulerit Abraham. Nam et si illa porrigeretur